



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. VII. Reliquiarum. Ostenditur, publico Cultui exponi posse Reliquias,
licet authenticô sigillô non munitas, modò talis cultus jam ab antiquo illis
fuerit exhibitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)

CONSILIO VI. DEBITI.

fion besagten Beneficii zwar nit abgestanden; doch diese limitation beygelegt wird, daß solches Beneficium nit statt findet, da der von hohem Adel herstammende Debitor, oder Debitoris Successor in allodialibus, & feudalibus so vil Guts besitzet, daß nach Ablöfährung der Schulden dannoch pro congrua, & ad qualitatem statu sustinendis sufficiente sustentatione ein Vergnügenes überbleiben wurdet, wann gleich wegen hin-auszahlenden Schulden das Haushwezen, und Oeconomi nit mehr so prächtig, als jw vor kunte angefstell, sonder um ein merckliches müste eingezogen werden. Wann aber je sich zeigen sollte ein unumgängliche Unmöglichkeit die prætendirende Schulden, wie in mandato sine clausula anbefohlen worden, auf einmahl zu bezahlen, und zugleich standmäßige Aufführung zu continuiren, vermeyne, Frauen Klägerinen würden sich gegen ihrem Hr. Vötter, oft-hochermeldten Hr. Beklagten in deme keineswegs difficil zeigen, daß nit selbe, in Erwögung solcher Impossibilität, von dem rigore des per memoratum clementissimum mandatum, & antecedentia pacta dotalia, obligationes, transactiones, & ultimam voluntatem erworbenen Rechts in diesem was nachlassen wolten, daß Hr. Beklagte das prætendirende Quantum nit auf einmahl müste, sonder auf beydersseits beliebende Zihler kunte nach und nach absühren, dann auf solche Weiß wurden Hr. Debitor noch verbleiben die zu Bestreitung der standmäßigen Aufführung vergnügenge reditus, und wurden zugleich Frauen Klägerinen ihrer Prætensionen befridigt werden, besonders wann beynebens pacitret

wurde, daß alzeit von dem verbleibenden Überrest das jährliche Interesse bezahlet wurde. Was lettiens wegen vermeyntem Vitio Sub-vel Obreptionis, dessen das emanirte mandatum sine clausula incusat will werden, gemeldet ist worden, hat seine Beantwortung schon bekommen in Responsione ad Quastionem 10. à num. 117. alwo erwiesen worden, daß zwar derley mandatis, non obstante, quod clausulam justificatoriam annexam non habeant, exceptio Sub- & Obreptionis mit allem Fug Rechtes opponit mög werden, und darum jener, wider welchen solches mandatum ergangen, bis zu volliger Erörterung Quastionis per exceptionem proposita entzischen ad parendum mandato keineswegs gehalten können werden; doch er hellet aus eben besagter Responsione à num. 125. daß solch beditenes Vitium noch nit erwiesen worden, noch also leichtlich erwiesen wird werden, welken sich nit zeiget, wie in libello Querela eintweder die benötigte Wahrheit verschwigen (quo modo fit subreptio) oder die Unwahrheit seye vorgebracht worden, qui est modus obreptionis, Rescriptum, Mandatum, gratiam vitiantis. Wird also Hr. Beklagten obligen, dises eintweder rechtsvergnügen zu weisen, in Entstehung aber solcher Erweisung das emanirte mandatum seinen wirklichen Effect gewissen müssen.

Aus welchem dann allem folget, daß die von Frauen Klägerinen geführte Prætension rechtmäßig, und solche Prætension abzuführen Hr. Beklagte in allweg gehalten seye, sofern nur das aufgeworfene Quantum genugsam liquidiret solle werden; an deme aber meines Erachtens nit fehlen kan.

CONSILIO VII.

De cultu SS. Reliquiarum, quæ authentico sigillo
munitæ non sunt.

SUMMARIUM.

1. seqq. *Facti species.*
4. seqq. Non possunt proponi Reliquæ ad cultum publicum, nisi approbatæ: hoc tamen intelligitur de Reliquiis novis, vel cuiusdam non Canonicati n. 12. seqq.
7. seq. Dubia, qua circa SS. Reliquias possunt occurtere, tolluntur diuturnitate temporis, aliisque credibilibus indicis. n. 75.
8. Ad probandan identitatem Reliquiarum sufficit scriptura authentica, vel etiam antiqua non authentica.
9. Cultus Reliquiarum ab antiquo exhibitus probatur ex traditione, libris antiquis &c.
10. Ex immemorialitat temporis presumuntur omnia acta esse cum requisitis solennitatibus.
11. Diuturnitas cultus publici autoritatem facit SS. Reliquiis etiam non clausis.
16. 17. Ob Reliquias etiam non insignes potest dici Officium, & celebrari Missa de Sancto, si hic cultus jam ab antiquo fuit illi exhibitus.
18. Præscriptio immemorialis habet vim privilegiu à Principe concessi.
19. 20. Non opus est, nec expedit novam probationem petere antiquarum Reliquiarum.

FA.

FACTI SPECIES.



NE Ecclesia Religiosorum A. ab immemoriali exposita hactenus fuerunt publicae veneracioni reliquiae S. Lucii Papae martyris, & S. Eusebii confessoris Episcopi Neapolitani, asservatae

in duobus ligneis brachiis deauratis: item S. Sabæ Martyris, & S. Leæ Virginis Martyris, insertæ duobus simulacris, ex ligno affabre factis. De his omnibus, cum recurrebant festi eorum dies, singulis annis celebratae sunt missæ, & dictum officium à Religiosis dictæ Ecclesie, ut moris est, antea præmonitus ex pervetusta memoria, manuscripta in Martyrologio, quod in memorato loco super mensam legitur: testisque est Dominicus P. ejusdem Domus à 40. & pluribus annis incola, templique sacraria plures praefectus, id semper hactenus, & continuò observatum fuisse: idem confirmant alii seniores civitatis A.

2. Post continuatam ita tempore immemoriali venerationem publicam, per officium, & missam reliquiis istis exhibitam, subortum inter Religiosos est dubium, an pergi tutâ conscientiâ in cultu hoc publico possit? idque ob triplicem maximè rationem. 1. quia reliquiae istæ nullo sigillo authenticō munitæ, nec fenestella seu ostiola earum ita clausa sunt, ut non facile extahiri, & permutari possint: proinde dubia est carum cum antiquitus approbatæ identitas. 2. ex reliquiis istorum Sanctorum nulla apparet esse insignis; nam reliquiae de SS. Lucio, & Eusebio parvæ sunt: de SS. Saba, & Lea asservantur quidem in eorum simulacris duo crania; sed ea fictitia tantum ex papiro sunt, iisque minuta solum ossium fragmenta agglutinata conspicuntur. 3. de duobus prioribus nullæ extant litteræ authenticæ: de posterioribus repertum quidem nuper est testimonium Reverendissimi Patris Generalis ejusdem Ordinis, in quo ipse restatur, se donavisse Ecclesiaz ejusdem loci corpora SS. Saba Martyris, & Leæ Virginis martyris, quæ asservit, desumpta fuisse ex coemeterio Priscillæ; verum in quo Ecclesiaz dictæ loco asservantur haec SS. Corpora, ignotum est, & insuper S. Leæ nomen Martyrologio Romano descriptum non invenitur.

3. Perpendis his rationibus Provincialis in Visitatione dictas reliquias, cultumque eorum publicum declaravit ipso jure suspensum: quod alii antecessores ideo fortasse non praesertierunt, quia vel ad examen eorum non fuerunt allata, vel ob bobam R. P. Schmalzgrueber Consilia.

fidem, & consuetudinem antiquam Ecclesiæ cultum publicum iisdem reliquiis, & officium, ac missam Sanctis istis abrogare non voluerunt.

QUÆRITUR I.

An dictæ reliquiae in statu, quo nunc sunt, exponi publicæ venerationi ultius possint?

V Idetur, non posse proponi reliquias istas ad cultum publicum, sed ad orationes natum duntaxat, nisi approbentur ab aliis dubitandis quo, qui authotitatem habet hujusmodi reliquias approbandi. Nam 1. Innocentius III. c. fin. de reliqu. & venerat. Sanct. relatus, in Concilio Lateranensi, ad evitandas fraudes, quibus per varia figura aut falsa documenta decepti fideles antea erant, statuit, ut Pralati non permittant antiquas reliquias extra capsam ostendi, aut de novo inventas publicæ venerationi exponi, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatae.

2. Accedit definitio S. Concilii Tridentini quod sess. 25. in Decreto de invocat. venerat. & reliqu. Sanctor. statuit, novas reliquias non esse recipiendas, nisi recognoscere. & approbante Episcopo: qui simul, atque de iis aliquid competum habuerit, exhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, qua veritati, & pietati consentanea judicaverit: quod si vero - - aliqua de iis rebus gravior quasi incident - - antequam controversiam dirimat, Metropolitani, & comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam expectet, ita tamen, ut nihil, inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

3. Huic definitioni concordat constitutio Sixti V. quæ incipit Dominus, & extinter hujus Pontificis constitutiones 88. ubi dicit, reliquias non esse proponendas, nisi fuerint recognitæ, & approbatæ ab Episcopo. Tales autem non videntur esse illæ, de quibus nunc quæstio est; nam, ut pro approbatis habeantur, ex pluribus S. Congregationis Rituum Decretis debent esse clausæ, sigillo obsignatae, & infuper ex authenticis literis de approbatione, ab hoc factâ, debet constare: quod, ut dicit Bellarminus contra Calvinum, Ecclesia diligenter curat, ne fraudes fiant.

4. Dubium in casu præsenti auget, quia ex assertione unius testis oculati constat, easdem reliquias per manus alicujus æditui, seu sacrifitani fuisse aliquando extractas ex capsâ, & ostensas: ut adeò dubium fieri possit, an non aliquando veræ reliquiae fuerint sublatæ, & fallæ suppositæ; proinde procedat doctrina

Armill. V. Canonizatio. n. 2. Suar. tom. (R) 1. in

4.

5.

6.

7.

CONSLIUM VII. RELIQUARUM.

1. in 3. part. q. 25. art. 6. D. 55. sect.

2. ¶. at verò, ut reliquia, Sanch. l. 2.
mōr. c. 43. n. 19. & aliorum,

juxta quam, quando debitā p̄missā diligētiā, res manet anceps, an eae reliquiae sint alicuius Sancti, abstinentium est à cultu, quamvis ad ornatum crucis possint extponi: cui doctrinæ non obest, quod doceat

Azor inst. moral. p. 1. l. 9. c. 8. q. 8.
ubi ait, reliquias antiquas venerationi Fidelium posse exponi etiam absque Romani Pontificis autoritate; nam author hic loquitur in suppositione, quod non dubitetur de earum identitate; nam subdit, quodsi de antiquis reliquiis dubitatio aliqua oriatur, Episcopus facere debeat, quod statuit Tridentinum. Denique

7. 5. Confirmantur hæc omnia argumento à contrario,

quod facit Matthæucc. tract. de caus.
beatif. & Canoniz. quæst. Proœm. n. 58.

Sicut enim in casu, quo thecae, & capsulae sunt integræ, & sigillum sanum, non alteratum, probatio habetur identitatis reliquiarum, ita in casu, quo sana non apparent, suspicio esse potest, sublatas fuisse veras reliquias, & falsas suppositas: quo casu proinde infert idem Matthæucc. n. 58. cit. tales reliquias, ne contingat in veneratione error, ad cultum publicum non amplius exponentias

juxta c. fin. de reliqu.

quod argumentum fortius urget in casu præfenti, ubi de reliquiis in quæstionem deducunt nullæ extant literæ authenticæ, nullum in thecis adest sigillum, ipsæque theca à quolibet facile aperiri possunt. Proinde censendum est, has reliquias, quamvis ab immemoriali habuerint cultum publicum, novo Episcopi examine, & approbatione habere opus; post quod examen si identitas illarum remaneat anceps, abstinentium erit ab earum expositione ad venerationem publicam ex doctrina Armill. Suar. Sanch. suprà citt.

8. Sed, his non obstantibus, videtur dicendum, reliquias, de quibus hæc sermo est, pro veneratione publica etiam in futurum tutò exponi posse. De reliquiis SS. Sabæ, & Leæ videtur res esse extra controversiam; nam pro his habetur testimonium authenticum Patris Generalis num. 2, allegatum, quod debet sufficere
juxta Matthæucc. quæst. Proœm. cit. n. 50.

Rationes decidendi.
ubi inter modos probandi identitatem reliquiarum recentet, si habeatur scriptura authenticæ, quæ subscripta sit à superiori, & duobus testibus, vel quæ habet sigillum, & superioris subscriptionem. Imò juxta eundem Matthæuc. n. 51. probari identitas potest etiam ex scriptura non authenticæ, si sit antiqua, & apud reliquias reperta, dummodo de hoc nullum adsit

dubium. Neque obstat, quod in dictis literis Patris Generalis dicatur, ab ipso Ecclesiæ illi fuisse donata ipsa corpora dñctorum Sanctorum, quæ tamen ubinam asserventur, ignotum est; nam in multis Ecclesiis, & in aliquibus etiam Romæ coluntur Sanctorum corpora, licet ostendi nequeat, in quo earum loco reposita illa sint. Sufficere videtur, quod aliquæ eorum partes ostendi possint; nam juxta morem Romanum Sanctorum corpora conduntur sub altariis, & aliqua solum pars asservatur pro veneratione publicè exponenda in thecis ad id confessis. Præsumptio ergo est corpora SS. Sabæ, & Leæ condi in dicta Ecclesia sub altariis consecratis.

De iisdem sanctis corporibus confirmatur, & de reliquiis SS. Lucii, & Eusebii probatur Conclusio 1. quia,
ut cum Contelor c. 14. n. 7. advertit

Matthæucc. l. cit. n. 52.

identitas reliquiarum, cultusque iis ab antiquo exhibitus probatur ex memoria hominum, seu traditione, & publica voce; nam si de hac deponant testes, eorum assertio plene probat. Item sufficit, si adhuc libri antiqui, qui referant, reliquias, de quibus queritur, esse Sanctorum

c. cum causam 13. de probat.

nam in antiquis, quæ sunt difficilis probatio, qualibet probatio, etiam præsumpta valet,

ut ex Bordon. de miracul. medit. 33.

n. 33. notat Matthæucc. l. cit. n. 54. atqui in calu nostro pro cultu reliquiarum, de quibus hæc agitur, adest Martyrologium perantiquum, & in eo scriptura similiter antiqua, ex qua festum istorum Sanctorum singulis annis est promulgatum: insuper habetur testimonium Deminici P. qui de continuacione cultus publici à 40. & pluribus annis, quibus domuna istam incoluit, diserte testatur, cuius attestatio adjuvatur fide seniorum civitatis, ut adest de traditione, & voce publica dubitandum non sit. Proinde locum habet in casu isto Decretum S. Congregacionis, quippe quæ

testibus Bonacini. Decal. Praecept. I.

D. 3. q. 1. p. 4. n. 4. ¶. dixi. Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 97. n. 11. Pelizar. man. regul. tract. 8. 6.

¶. n. 77.

censuit, reliquias, quæ fuerint antiquæ, habendas esse in illa veneratione, in qua hactenus fuerunt. Conclusioni igitur huic non obstat, quod de approbatione, circa has reliquias, aliquando ab Episcopo facta, non constet. Imò

2. Approbatio harum reliquiarum olim legitime facta præsumi debet: & quidem de reliquiis SS. Sabæ, & Leæ, præsumptio hæc sumitur ex literis P. Generalis, ubi testatur, horum corpora desumpta esse ex coemeterio Priscillæ; constat enim ex stylo

CONSILIO VII. RELIQUIARUM.

131

lo Romanæ Curiæ, corpora Sanctorum, ex catacombis desumpta, non dari, nisi præmissa approbatione ejus, qui à Pontifice circa hoc autoritate sufficiente instrutus est. Quoad reliquias SS. Lucii, & Eusebii præsumptionem approbationis aliquando datæ facit testimonium antiqui æditui, & seniorum civitatis, maxime si ex hoc inferri possit immemorialitas cultus, quod habebitur, si iidem testes deponant, sic se semper vidisse, & audivisse observatum etiam ab antecessoribus, & majoribus suis; tunc enim plenè probata censetur immemorialitas temporis, quæ probatio tantam vim habet, ut probatâ temporis immemorialitate præsumuntur omnia acta esse cum requisitis solemnitatibus, ut in materia de alienatione rerum Ecclesiasticarum circa probationem interventus solennitatum ad hanc requisitarum tanquam regulam generalem tradunt

Laym. l. 3. tract. 4. c. 10. n. 4. Barbos. de Offic. & potest. Episc. alleg. 95. n. 71. Palao tract. 12. D. un. p. 15. §. 2. n. 13.

Imò ad inducendam hanc præsumptionem signatè non requiritur immemorialitas temporis, sed sufficit illud, quod sat's longum existimaverit judex, cuius arbitrio determinationem temporis relinquent ad hunc effectum Menoch. Laym. Pirhing cum aliis. Præterea

II. 3. Conclusioni huic non obstat, quòd reliquiae istæ non reperiantur signatae, & sufficienter clausæ; nam, stante diurnitate temporis, quo cultum publicum haberunt, nihilominus in isto continuari potest, eaque reliquiae exponi ad venerationem publicam. Exemplum est in Societas nostræ Collegio, Typhernate, ubi asservatur digitus B. Aloysii nostri, de cuius identitate licet excitatum sit dubium ex capite, quòd reliquiae istæ non sintritè ob-signatae, tamen continuatur consuetudo eas exponendi ad venerationem publicam. Similiter in nostro Collegio Romano sub Ecclesiaz ejusdem ara maxima asservantur corpora SS. Martyrum Amiterni, de quibus, non obstante, quod tempore consecrationis dictæ Ecclesiaz inventa sunt sine sigillo, & sine literis authenticis, & sic extortum sit dubium de eorum identitate, nihilominus permissa fuit continuatio cultus publici, & celebratio festi in die illorum natali, ex hoc solo capite, quòd SS. Martires isti existerent in possessione cultus hujusmodi à longissimo tempore habeti. Ex his patet, quid responderi possit argumentis oppositis.

Ad 1. cum DD. num. 9. cit. advertit

Azor Inf. Moral. p. I. l. 9. c. 8. q. 8. Decretum Innocentii III. locum habere duntaxat in cafu, quando reliquiae sunt novæ; nam reliquias antiquas venerationi publicæ, etiam sine nova Romani Pontifi-

12.
Responde-
tur ad ra-
tiones du-
bitandi.

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

cis autoritate, exponi posse, idem Azor l. cit. cum aliis tradit. Sanchez præterea l. 2. Moral. c. 43. n. 14.

docet, in c. fin. cit. sermonem esse solum de Sancto non canonizato: de qualibus Sanctis merito exigitur approbatio Pontificia, quippe cum solius Pontificis sit indulgere cultum publicum alicujus, qui inter Sanctos legitima autoritate relatus antehac non erat.

Ad 2. in Concilio Trid. l. cit. similiter sermo duntaxat est de reliquiis novis, quæ scilicet antehac ad cultum publicum nondum expositæ erant: ideoque Decretum dicti Concilii extendi non debet ad reliquias antiquas, & ab antiquo venerationi expositas, ut notat

Pellizar. Man. regul. tract. 8. c. 5. n.

77.

ubi excipit, nisi Episcopo occurreret vhemens ratio dubitandi de veritate alicujus reliquiae, etiam ab antiquo exponi solitæ; nam tunc juxta eundem Doctorem l. cit. posset Episcopus talam reliquiam visitare, petendo ejus Authenticam, eamque recognoscendo, quippe qui quoad hoc à Concilio Trid. designatus est judex competens.

Ad 3. Pari modo Constitutio Sixti V. cit. procedit solum, quando est prudens dubium de veritate, & identitate reliquiarum: quale dubium juxta dicta num. 8. & tribus seqq. non est in casu præsenti, quippe in quo ex diurnitate temporis præsumuntur omnia cum debita solennitate acta, consequenter credi debet, approbationem illarum aliquando fuisse legitimè factam. Proinde intrat doctrina ejusdem Pelliz. n. 77. cit. princ. ubi ait, non videri Episcopos posse visitare reliquias, ab antiquo exponi solitæ in Ecclesiis Regularium, ex ratione, quia S. Congregatio statuit, reliquias, que fuerint antiquæ, habendas esse in illa veneratione, in qua hactenus fuerunt.

Ad 4. & 5. Dubium in casu præsenti tollit 1. diurnitas temporis, quo reliquiae istæ habuerunt cultum publicum, ex qua juxta dicta num. 10. præsumitur approbatio earum olim legitimè facta. 2. Litteræ P. Generalis, & inscriptio in perantiquo Martyrologio, quæ in hoc casu juxta num. 8. & 9. debet sufficere. 3. diligentia, circa reliquias à Religiosis illis adhiberi consueta, quippe à quibus hujusmodi reliquiae, quæ extra sepulchra Altarium habentur, asservantur in Sacraria sub clavibus, ita, ut præsumi alteratio earum nulla possit, cum nequeat credi, quòd ullus ex Religiosis tam gravi delicto conscientiam suam inquinare velit, & reliquias veris sublatas, falsas substituere: quæ præsumptio, et si evidentiā non pariat, facit tamen credibilitatem moralem, qualis quoad reliquias Sanctorum Canonizatorum sufficit ex communī doctrina.

(R 2)

13.

14.

15.

QUA.

QUÆRITUR II.

*An in festis horum Sanctorum
diebus Religiosi de illis possint celebrare
Missam, & dicere divinum
Officium?*

16.
Rationes
dubitandi.

Videtur tenenda negativa. Nam, ut Missa, & Officium ratione reliquiarum alicujus Sancti dici possit 1. ex Decreto S. Congr. Kit. 8. April. 1628. requiritur, ut talis reliquia sit insignis, qualis est caput, brachium, crus, aut pars non parva, in qua Sanctus ejusmodi passus est Martyrium. 2. ex Decreto ejusdem Congregationis 3. Jun. 1617. eadem reliquia debent esse approbatæ. 3. opus est, ut sint Sancti alicujus, cuius nomen insertum est Martyrologio Romano, nisi aliud à S. Sede fuerit specialiter indulatum, ut constat ex Decreto dictæ Congreg. edito 11. Aug. 1691. 4. ex eodem Decreto, item ex Decreto memorata Congreg. 1. Sept. 1612 in Calaguritana, & die 12. Mart. 1618. in Conchenfi, item in alio 1684.

Insuper requiritur, ut constet de identitate reliquiae cum Sancto, in eodem Martyrologio nominato. Hæc autem omnia in casu præsenti vel desunt, vel dubia sunt. Nam 1. reliquiae istæ juxta dicta num. 2. non sunt insignes. 2. non constat de earum approbatione, cum juxta dicta num. cit. de iis non habeant litteræ authenticæ. 3. S. Leæ nomen non reperitur in Martyrologio Romano. 4. cæterorum nomina in Martyrologio quidem reperiuntur, sed non constat de identitate cum Sanctis, sub horum nomine ibidem descriptis. proinde non viderur in hoc reliquiarum istarum statu Officium, & Missam de his Sanctis festis eorum diebus licite celebrari posse.

17.
Dissolvuntur.

Verum hæc oppositiones apparent sufficienter jam esse elisæ ex hac tenus dictis. Ad 1. dum pro dicenda Missa, & Officium de aliquo Sancto ratione reliquiae requiriatur, ut illa sit insignis, ne in Decretis S. Congregationis admittenda sit contradicatio, accipiendo est cum exceptione, nisi Sanctus, cuius reliquia non insignis adest, jam ab antiquo habuerit cultum per Missam, & Officium; nam juxta aliud Decretum ejusdem S. Congregationis, num. 9. allegatum, reliquiae, quæ fuerint antiquæ, habendæ sunt in illa veneratione, in qua hac tenus fuerunt. Est autem Missa, & Officium pars venerationis, quæ exhibetur Sanctis. Igitur si Sanctus aliquis ratione reliquiae etiam non insignis habuit Missam, & Officium ab antiquo, in hoc cultu etiam impolterum continuari tutâ conscientiâ poterit. Ad 2. ex diuturnitate temporis, præsertim immemorialis juxta num. 10, prælumuntur omnia rite, & cum

debita solennitate facta. Igitur præsumi etiam debet, quod reliquiae, de quibus hic agitur, fuerint aliquando approbatæ. Ad 3. eadem immemorialitas temporis habet vim privilegii à Principe concessi, cum ergo S. Congregatio in Decreto, quo prohibet Missam, & Officium dici de Sancto, cuius nomen in Martyrologio Romano descriptum non est, exceptionem faciat, nisi aliud à S. Sede fuerit specialiter indulatum, etiam exceptis censetur consuetudinem immemorialem, quippe quæ parit privilegium presumptum. Ad 4. si consuetudine immemoriali acquiri potest privilegium dicendi Missam, & Officium de Sanctis, quorum nomen non est in Martyrologio Romano descriptum, etiam privilegium per eam acquiri potest, ut sic celebretur festum alicujus Sancti, cuius nomen in eodem Martyrologio descriptum est, licet non constet de identitate cum Sancto ibi descripto.

Censeo igitur, in dicenda de his Sanctis Missa, & Officio, non obstantibus Rationes his oppositionibus, continuari posse, si decidetur (prout existimo facile constare posse ex testimonio Fr. Dominici P. & Religiosorum antiquorum, qui aliquando incolæ fuerunt ejus Asceterii) quod cultum hunc Sancti illi habuerint tam longo tempore, ut de initio illius non extet memoria; tunc enim jam habebitur præscriptio immemorialis, quippe quæ vim privilegii à Principe concessi habet

c. super quibusdam 26. §. præterea, & ibi Gloss. V. non extat de V. S.

paritate titulum, quo melior non est de mundo, ita, ut alium allegari non sit necesse. Laym. l. 3. Theol. Moral. tract. 1. c. 8. n. 13. neque censetur abrogata, aut ei derogatum per statutum, aut legem contraria, quamvis conceptum in terminis generalibus, continet enim speciale favorem, ut adeò opus sit speciali derogatione, quæ tamen fieri non solet, si capacitas sit in præscribente, & res sit præscribibilis. Laym. l. cit.

QUÆRITUR III.

An consultum sit harum reliquiarum novam approbationem petere?

R. Ex hac tenus deductis spem quidem in dubitatam haberi posse, obtentum iri novam approbationem reliquiarum istarum. Nam 1. pro illis adest diuturnitas cultus. 2. favet mos Ecclesiæ illius, ubi Episcopi in visitatione SS. reliquiis, quæ ab immemoriali cultum publicum habuerunt, permittunt eundem cultum continuari, si de earum approbatione constet, & illæ in thecis, aut simulacris suis clausæ exi-

existant. 3. clausura ista, & probatio approbationis non debet esse strictissima; nam & in Ecclesia Collegii nostri Romani Oficio, & Missa veneramur reliquias SS. Martyrum Amicterni, licet, ut num. 11. relatum est, occasione consecrationis ejusdem templie eadem reliquia non fuerint inventæ clausæ, nec repertæ de iis authentiæ literæ.

20. Censeo autem, novam approbationem nec necessariam esse, nec expedire, ut ea petatur. Necessaria non est; quia eam aliquando rite fuisse factam possellio temporis immemorialis concludenter probat; consultum autem non est eam petere, ne

videantur Religiosi causæ suæ diffidere, quam tamen satis munit ipsa immemorialitas cultus. Sufficiet ergo, si reliquia istæ sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ claudantur, ut alias moris est: imo hæc ipsa clausura habebit vim novæ approbationis, quippe quam indulgere Prælati non debent, nisi veris reliquiis. Poterunt igitur Religiosi Ecclesiarum illius, si diuturnitas cultus istius per juramentum duorum saltem testium sufficienter probetur, & nemo circa has reliquias dubium prudens moveat, continuare in cultu, hactenus Sanctis istis impenso.

CONSILIO VIII.

In dubio juris sepulturæ & funeralium.

SUMMARIUM.

1. *seqq. Facti species.*
2. *Rationes dubitandi.*
6. *Beneficiatus sepeliendus est in Parochia beneficij sui:*
7. 8. *Etiamsi habitaverit in alia Parochia,*
9. *Beneficiatus verè est Parochianus Ecclesiarum, ubi habet beneficium.*
10. 11. *Vicaria in se perpetua, licet Vicarius quivis sit ad nutum amovibilis, habet rationem beneficij simpliciter talis.*
12. *Servitium praestitum Ecclesia ad tempus dun-*

- taxat, non facit, ut quis sit de corpore illius Ecclesiarum.*
13. *Domicilium proprium in sensu juris beneficij sibi habet, ubi residere tenetur.*
14. *In ordine ad sepulturam non attenditur locus, ubi quis Sacramenta percepit in articulo mortis, sed ubi percipere solebat in vivis.*
15. *Portio Canonica debetur Ecclesia, ubi quis fuisset sepeliendus.*
16. *Ecclesia, in qua quis habet beneficium simpliciter tale, habet juseum sepeliendi.*

FACTI SPECIES.

I.



Itius Vicarius Parochialis in Ecclesia Collegiata A, loco venerabilis Capituli dictæ Ecclesiarum hastenus exercuit omnes actus Parochiales: non est investitus, sed ad nutum amovibilis: & domicilium habet in aliena Parochia, B. nimirum. Cum nuperim ad mortem usque ægrotasset, sacram Viatum, & Extremam Unctionem recepit à Parocho Ecclesiarum B. & paulò post in Domino obiit. Utraque Parochia est in eadem urbe. Hac facti specie posita,

S. Rotæ, quâ Parochianus S. Dominici, non obstante, quod ex deputatione Episcopi servierit Ecclesiarum S. Jacobi, post mortem pro sepultura adjudicatus est Ecclesiarum S. Dominici.

2. Qui, sepulturâ non electâ, decadunt, de jure tumulandi sunt in Parochia, in qua domicilium habent.

c. nos instituta 1. de sepultur. &c. animarum 1. eod. in 6.

Titius autem in casu præsenti domicilium habuit non in districtu Parochiali Ecclesiarum Collegiatæ A. sed in Parochiali B. ergo in hac, & non in illa est tumulandus: quæ sequela eod magis videtur concludere, quia

3. Ab hujus posterioris Parocho sacram Viatum, & Extremam Unctionem recepit; nam juxta cit. textus ibi sepeliendus defunctus est, ubi ille Sacraenta, aliisque Divina percepit.

4. Qui sine sepultura, à se, vel Majoribus suis electâ, decadunt, sepeliri debent in illa Parochia, cui debetur portio Canonica in casu, quo ob electam à se, vel Majoribus suis sepulturam sepeliendus fuisset alibi: atqui, si Titius sepulturam elegisset alibi, portio Canonica debita fuisset Parochiarum habitationis, in qua deceperit (R 3)

3.

4.

2.
Rationes
dubitandi.

QUÆRITUR

An jus sepeliendi Titium competit Ecclesia B. in cuius districtu vitam egit, & finit, an vero Collegiata A. ubi Vicarium egit, & Parochialia administravit?

OB quas videtur tumulandus in Ecclesia B. sunt sequentes. 1. ob decisionem